Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

gredi. Quod autem sequitur: Ex hoc iam homines eris capiens.
Ad ipsum Petrum specialiter pertinet exponit ei dominus quid haec captura piscium significet, quod videlicet ipse sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit capturus homines, totiusque facti huius ordo quid in ecclesia cuius ipse typum tenet cotidie geratur ostendat. Quod vero subiungitur:
Et subductis ad terram navibus relictis omnibus secuti sunt eum.
Potest significare finem temporis quo ab huiusmodi salo qui Christo inhaeserint penitus recessuri sunt. Sciendum est autem hanc eandem non esse lectionem quam Matheus et Marcus binos de naviculis piscatores primo Petrum et Andream deinde filios Zebedei a domino narrant esse vocatos. Sed tamen Petro. Non enim eos Lucas nunc a domino vocatos sed tantum Petro fuisse praedictum quod homines esset capturus insinuat, quod non ita dictum est quasi iam pisces numquam esset capturus. Nam et post resurrectionem domini legimus eos esse piscatos. Unde datur intellegi eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret quod Matheus et Marcus narrant quando eos binos vocavit. Tunc enim non subductis ad terram navibus tamquam cura redeundi sed ita eum secuti sunt tamquam vocantem ac iubentem ut sequerentur. XVI
Et factum est cum esset in una civitatum et ecce vir plenus lebra et videns Iesum et procidens in faciem et rogavit eum dicens: Domine si vis potes me mundare.
Bene ubi leprosus mundatur certus non exprimitur locus ut ostendatur non unum populum specialis alicuius civitatis sed omnium populos fuisse sanatos. Et quia dominus ait: Non veni solvere legem sed adimplere, ille qui excludebatur a lege purgari se domini potestate praesumens non ex lege sed supra legem esse gratiam iudicabat quae leprae maculam posset abluere. Verum ut in domino potestatis auctoritas ita in illo fidei constantia declaratur. Ille in faciem procidit quod humilitatis est et pudoris ut unusquisque de suae vitae maculis erubescat, sed confessionem verecundia non repressit, ostendit vulnus, remedium postulavit, et ipsa religionis et fidei plena confessio est: Si vis inquit potes me mundare. In voluntate domini tribuit potestatem. De voluntate autem domini non quasi pietatis incredulus dubitavit, sed quasi colluvionis suae conscius non praesumpsit.
Et extendens manum tetigit illum dicens: Volo, mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.
Nihil medium est inter opus dei atque praeceptum quia in praecepto est opus, denique dixit et facta sunt. Vides igitur quod dubitare quia voluntas dei potestas est. Si ergo voluntas eius potestas est qui unius voluntatis asserunt unius utique asserunt potestatis. Itaque quasi habens potestatem sanandi et iubendi auctoritatem operandi testimonium non refugit. Volo enim dicit propter Fotinum, imperat propter Arrium, tangit propter Manicheum. Et lex quidem tangi leprosos prohibet, sed qui dominus legis est non obsequitur legi sed legem facit. Non ergo ideo tetigit quia sine tactu mundare non poterat, sed ut probaret quia subiectus non erat legi.